This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

121
e. 8.

600036449W

G. 76. C. 11.

Hepaticae. Lindley, ord. 268.



35.
W. Front

E. BIBL. RADCL.

C. 2.
8

C

15.2

19121 e. 8

HISTORIAE
MVSCORVM HEPATICORVM
PRODROMVS.

COMMENTATIO

QVA

HORTVM BOTANICVM LIPSIENSEM

FELICITER INSTAVRATVM

RENVNTIAT

D. FRIDERICVS SCHWAEGRICHEN,

BOTAN. ET HIST. NAT. PROF.

LIPSIAE

SVMTV IOANNIS AMBROSII BARTH

MDCCCXIV.

VIRO

PERILLVSTRI ET SVMME REVERENDO

HENRICO VICTORI AVGVSTO,
LIB. BAR. DE FERBER,

SVMMI SENATVS IN REBVS ECCLESIASTICIS SAXONIAE PRAESIDI etc.

D I C A T A.

HENRICO VICTORI AVGVSTO
DE FERBER

S. P. D.

A V C T O R.

Acceperat ante plures annos ex legato venerandae matronae Trieriae academia Lipsiensis hortum amplum, cuius aliqua pars scientiae botanicae colendae procerum nostrorum consensu dicata est. Haec in plantarium, fruticetum et arboretum distributa, plantarum, pro temporis ratione, non spernenda copia ornata fuit, sed ita, ut potius privati hominis peculium ab academico fundo quasi separatum videretur. Tuo vero, Vir perillustris, consilio, Tua fide et providentia commotae patriae nostrae curiae omnia, quae ibi congesta et exculta erant, in ditionem academiae tradiderunt et in sempiternum scientiae botanicae usum asservari iusserunt, apposito simul annuo reditu, quo et nova parari et parata servari pos-

sent. Itaque si quando in hac literarum sede botanicae studium plenius et curatius excoletur et per hoc simul invenum mentes ad veram observandi methodum, qua posterius omnem rerum in facto positarum et inprimis ad medicam artem facientium indagationem tuto, cauto, subtiliter et cum fide instituant, felicius adducentur: hoc Tibi sapientissimo novi huius literarum praesidii fundatori tribuendum erit. Sed haec ad communem academiae salutem pertinent, in quam quae collata sunt beneficia omnes, qui literis apud nos operam dant, perpetua memoria colent et celebrabunt. Haud minorem vero immo magis promtam et praesentem utilitatem sentient et praedicabunt botanicae doctores academici Lipsienses, si pristina botanices praesidia cum his, quas nunc habemus copiis comparaverint. Omnium tamen maximam ipse delectationem percepi, quum me superstite factum sit, quod tot aetates non viderunt, ut laetiora horti botanici botanicaeque Lipsiensis initia auspicaremur. Quare non potui, quin

huius felicitatis autorem Te publice praedicarem et merita veneratione persequerer.

Exiguus Tibi hic offertur libellus plantas humiliores et simpliciores tractans, nec ambitu satis dignus, neque ornatu decorus. Sed nolui morari editionem documenti, quo mentem erga Te meam palam profiterer. Indulgenter et benevole accipias hanc maioris operis, arduo studio expoliendi et multis et curatis iconibus illustrandi, delineationem; quae quidem, licet paucis absolvatur verbis, est tamen longi laboris fructus.

Plantarum ea familia, quae his pagellis recensetur, simplici quidem utitur structura et flore cryptogamico: sed elegantissima et maxime admirabili fabrica observatorem curiosum allicit et quantumvis humiles et fugaces stirpes contineat, in ea tamen almae naturae sollertia, qua novos in terra sterili soboles, procreat, maxime emicat; illa enim ad tegendum nudum sterileque solum, ad operiendas

aridas et exustas rupes, ad parandam uberrimam et fertilissimam humum efficacissima est, ita ut laetissimi et feracissimi terrae nostrae recessus huic vili plantularum generi ornatum suum et laetissimi agri fertilitatem suam debeant, quippe quae humorem servant, solem arcent, et maiorum plantarum, graminum arborumque semina fovent earumque radiculas reliquiis suis nutriunt, ut innumerae tandem vermium turbae latebras, avium canorarum paria nidos, pecorum vasti greges pastum et ipsi homines et vitae adiumenta, et animi delicias et mentis exercitationem inveniant. Caeterum si verum est, vegetabilis naturae notitiam esse non posse completam et concinnam, nisi omnes eius provincias accurate et subtiliter cognoverimus: sequitur et eum, qui exiguam illius partem perpolire studeat, operae pretium facere, idque eo magis, siquidem verum est, quod de omni organicae naturae inquisitione valet, simplicium corporum compositione iuste examinanda et acute interpretanda aut plurimum adiuvari aut peni-

tus niti perfectiorum corporum cognitionem omneque de naturae viribus iudicium.

Vt autem istorum vegetabilium historiam denuo tractare instituerem, eo commotus sum, quod animadvertebam, hoc genus plantarum ex aliquo tempore spretum eiusque historiam universam neglectam iacere. Post Dillenium enim, qui omnium fere plantarum cryptogamarum penum, quantum illo tempore licuit, describendo exhauserat, pauci tantum scriptores universe de muscis hepaticis egerunt. Hedwigius, muscorum omnium physiologiam molitus, nonnullas modo species percontatus est; Europaeas et Americanas rariores descripserunt Schmidelius, Swartzius, Rothius, Sprengelius, Dicksonus, Villarsius, Candollius, Schrankius, Wahlenbergius, Germanicas plures Weberus et Mohrius et summa peritia et subtilitate Schraderus; alias indefesto studio siccas collegerunt Funkius, Schleicherus aliique. Vnius hepaticorum generis Iungermanniae monographiam evulgare coepit Hookerus, quam ad hanc operam me non adhibuisse

ignoscent lectores, si audierint, eam, quae in bibliothecis Germaniae desideratur, ex Anglia ad me missam intra Parisinos muros retineri. Sed nondum apparuit liber universam omnium muscorum hepaticorum specierum historiam complectens. Talis operis edendi consilium per plures annos agitavi, ex quo naturae observandae causa camporum et nemorum trivia, saltuum et paludum solitudines, fluviorum et marium littora, alpium rupiumque vertiginosa cacumina peragrare, literas cum exteris botanicis communicare et herbaria peregrinatorum examinare coepi. Et diuturna quidem et saepe repetita investigatione illa eget familia plantarum, quae parvitate et colore omnibus fere vegetabilibus communi oculorum aciem fallunt, in absconditis, umbrosis et obscuris locis saepe latent et raros aut ita fugaces flores fructusque exserunt, ut eas in ipso loco natali statim delineari et describi, iterum iterumque oculis usurpari necesse sit, quum et partium forma et proportione maxime variare soleant.

Qua de causa rem ita institui, ut hac felici scribendi occasione oblata catalogum plantarum hepaticarum, quas descriptas inveni, proponerem, et plures species e larga messe depromtas, quas ab illis diversas et novas esse arbitrarer, adderem; haec molimina botanicis ita commendans, ut, si quas a me aut omissas aut non satis perfecte explicitas offenderint, has mecum communicare velint; si quas vero ipsi de meis cognoscere siccas cupiverint, eas, ubi fieri possit, ipsis me traditurum sibi persuadeant. Hoc consilio definitionibus literas quasdam apposui et quidem: *v. v.* ubi completas in loco natali observaveram, *v. s.* ubi siccas tantum acceperam et *v. v. s. fr.* et *v. s. s. fr.* ubi vivas vel siccas sine fructu collegeram. Signum crucis † adscripsi iis, quas non penitus cognovi, signum crucis duplicis ‡ his, quarum tantum definitiones habui, atque has quidem in censu facto nullis distinxi numeris: signum asterisci * vel *n. sp.* his, quas novas species efficere putavi. Non est quod moneam, me eorum, qui rario-

res novasve species mihi miserunt, nomina adiecturum esse.

Nihil magis in votis est, quam ut literarum amicis et inprimis Tibi, qui botanices in patria nostra fautor exstitissi, haec mea conamina non displiceant.

Ita vale et coeptis fave.

Dabam Lipsiae Calendis Aprilis.

IVNGERMANNIA.

Theca quadrivalvis, nuda, setae imposita. Seminum elateres lineares.

I. CAVLESCENTES.

1. STIPVLATAE.

a. STIPVLARVM ORDINE TRIPLICI.

1. *platyphylla*, caule procumbente bipinnato, foliis distichis imbricatis subrotundis obtusis, stipulis integerrimis ternatis. L. Europa et America borealis. v. v.

2. *laevigata*, caule procumbente bipinnato, foliis distichis imbricatis subrotundis acuminatis, stipulis dentato-ciliatis ternatis. Schrad. Europa. v. v. s. fr.

* *Magellanica*, caule repente ramosissimo, foliis ovato-subrotundis denticulatis: auriculis globulosis, stipulis ovatis acute bifidis. Sprengel. Dillen. 73, 34. Magellan. Terra.

11. *filiformis*, caulibus subsimplicibus confertis erectis, foliis imbricatis stipulisque dimidio minoribus subrotundis convexis integerrimis. Sw. Iamaic. v. s. s. fr.

12. *transversalis*, caule repente subramoso, foliis imbricatis cordato-oblongis stipulisque dimidio minoribus integerrimis. Swartz. Iamaic. Afric. v. s. s. fr.

13. *brachiata*, caule erecto subramoso dichotomo, foliis imbricatis ovato-deltoidibus subintegerrimis stipulisque triplo minoribus. Swartz. Iamaica. v. s. s. fr.

14. *tenera*, caulibus confertis simpliciusculis repentibus, foliis alternis coadunatis integris cum stipula sua minima alternantibus. Swartz. Iamaica. v. s. s. fr.

15. *pallescens*, caule ascendente subramoso, foliis subrotundis integerrimis, stipulis minimis ovatis acute bifidis. Linn. Europa. v. v.
 b. *rivularis* Schrad.

16. *trichomanis*, caule repente subramoso, foliis imbricatis subrotundis, stipulis obtuse bilobis. Dickson. Europ. v. v.

17. *flava*, caule repente ramoso, foliis imbricatis ovato-subrotundis integris, stipulis triplo minoribus bifidis. Swartz. Iamaica. v. s. s. fr.

18. *cavifolia*, caule decumbente subramoso, foliis subrotundis concavis basi complicatis, stipulis ovatis bifidis. Ehrhart. Europa. v. v.

19. * *Rothii*, exigua; caule decumbente subramoso, foliis imbricatis subrotundis, stipulis bilobis dimidio minoribus. Roth. Africa. v. s. s. fr.

20 * *convexa*, frondibus simplicibus confertis prostratis, foliis ovatis integris incumbentibus, auriculis subtus medio minutis quadridentatis. Thunberg. prodr. Cap. p. 173.

** foliis bidentatis aut bifidis.

21. *graveolens*, caule repente subramoso, foliis subquadratis argute bidentatis, stipulis lanceolatis profunde bifidis. Schrad. Europa. v. v.

22. *heterophylla*, caule repente ascendente subramoso, foliis subquadratis subbidentatis, stipulis lanceolatis quadripartitis. Schrad. Europa. v. s.

Stipulae in hac specie bipartitae: laciniis bipartitis.

23. *connata*, caule repente vage ramoso, folis trapezoidibus bidenticulatis, stipulis bifidis foliorum singulo pari connatis. Swartz. Iamaic. et ins. Franc. v. s.

Simillimam habeo, stipulis distinctis quadripartitis.

24. *bidentata*, caule repente subramoso, foliis subquadratis argute bidentatis, stipulis ovatis quadrifidis. Linn. v. v.

25. * *scutata*, caule brevi ascendente, foliis imbricatis subrotundis acute bidentatis, stipulis ovato-triangularibus integris. Flörke. Germania. †

26. *iuniperina*, caule subsimplici erecto rigido, foliis imbricatis stipulisque lanceolatis bipartitis secundis. Swartz. Iamaica. v. s.

27 * *concinnata*, caule setaceo ramoso procumbente, foliis stipulisque bipartitis: laciniis acuminatis sexfariam vergentibus. Lightfoot. Anglia. † an I. *setiformis?*

* foliis 3—4 fidis vel dentatis.

28. *filicina*, caule erecto pinnato patulo, foliis imbricatis oblongis acutis complicatis, stipulisque dentatis. Swartz. Iamaica. v. s. s. fr.

29. * *hexagona*, caule erectiusculo pinnato, foliis subrotundis trilobis hexagone imbricatis, stipulis ovatis bifidis. nov. sp. Ins. Franc. v. s. c. calyc.

30. *trilobata*, caule ascendente stolonifero subramoso, foliis subquadratis tridentatis distichis, stipulis quadridentatis folio triplo minoribus. Linn. Europa. v. v.

31. *stolonifera*, caule erecto subdichotomo stolonifero, foliis imbricatis distichis ovato-lanceolatis tridentatis, stipulis cordato-subrotundis crenulatis. Swartz. Iamaica, Domingo, ins. Borbon. v. s.

β. minor stipulis retuso-mucronatis.

32. * *Aubertii*, caule erecto subramoso, foliis secundis subrotundis quadrifidis, stipulis bifidis folio duplo minoribus ciliatis. n. sp. Ins. Franc. v s.

33. *serrulata*, caule erecto subsimplici teretiusculo, foliis secundis cordato-subrotundis, stipulisque paullo minoribus bidentatis serratis. Swartz. Iamaica. v. s.

34. * *Billarderii*, caule erecto subramoso, foliis imbricatis ovatis acutis omni margine serratis, stipulis crenatis dimidio minoribus. nov. sp. Australas. v. s.

35. † *Flörkii*, caule ascendente subsimplici, foliis imbricatis subsecundis trilobis, stipulis minimis bifidis: laciniis lanceolatis. Web. Mohr. German. †

36. † *tridenticulata*, caule procumbente subramoso, foliis distichis ovatis subtridentatis, stipulis emarginatis duplo minoribus. Michaux. Carolina. v. s. s. fr.

Minor quam stolonifera, et stolonibus carens. Variat. foliis bidentatis et integerrimis et stipulis subtridenticulatis.

37. *reptans*, caule repente pinnato: apicibus filiformibus incurvis, foliis remotiusculis stipulisque subquadratis quadrifidis planis. Linn. Europa. Carolina. v. v.

38. *cupressina*, caule procumbente pinnato apice capillaceo, foliis imbricatis stipulisque quadratis quadrifidis concavis. Swartz. Iamaica. v. s. s. fl.

39. *trichophylla*, caule capillari repente vage ramoso, foliis patulis stipulisque aequalibus profunde tripartitis articulatis. Linn. Europa. v. v.

40. *capillaris*, caule capillari repente vage ramoso, foliis trifariam imbricatis stipulisque tripartitis. Swartz. Iamaica. v. s. s. fr.

41. * *crinita*, caule capillari erecto-incurvato pinnato-ramosissimo, foliis stipulisque sparsis tripartitis brevissimis continuis. Desvaux ms. America merid.? v. s. s. fr.

42. * *capilligera*, caule filiformi erectiusculo pinnato, foliis stipulisque quadripartitis patulis articulatis. nov. sp. Australasia. v. s. s. fr.

43. * *ulothrix*, caule erecto-incurvato: ramis apice capillaribus, foliis stipulisque profunde multifidis continuis: areolis circularibus. n. sp. Australasia. v. s. s. fr.

44. *pulcherrima*, caule erecto bipinnato: ramis apice incrassato-rotundatis, foliis trifidis stipulisque bifidis longissime ciliatis. Web. Europa. v. v.

45. *ciliaris*, caule decumbente subbipinnato: ramis attenuatis, foliis stipulisque fissis ciliatis. Linn. Europa. v. v.

46. *Tomentella*, caule ascendente bipinnato, foliis stipulisque quadripartitis longissime ciliatis. Ehrhart. Europa. v. v.

47. *setiformis*, caule erecto vage ramoso, foliis quadripartitis stipulisque minutis bipartitis patulo-imbricatis. Ehrhart. Europa. v. v. s. fr. *concinnata* Lightf.?

* *laciniosa*, caule repente composite ramosissimo, foliis bifidis profunde fimbriato-laciniosis: laciniis capillaribus recurvatis. Michaux. Canada.

* *tomentosa*, caule recto pinnato, foliis minoribusque stipulis subimbricatis laciniatis fasciculato-ciliaribus. Swartz. Iamaica.

* *convexa*, frondibus simplicibus confertis prostratis, foliis ovatis integris incumbentibus, auriculis subtus medio minutis quadridentatis. Thunbg. prodr. Capens. p. 173. Africa.

* *Schulzii*, foliis amphigastriisque trifidis incurvis imbricatis: laciniis linearibus obtusiusculis, caulibus erectis dichotomis. Sprengel. pugillus plantarum I. p. 64. German. (trichophylla?)

* *Musae*, foliis imbricatis horizontalibus falcatis acutis apice serratis: basi-auriculato-complicatis, stipulis remotis ovatis bifidis. Sprengel. Ann. d. Wetterau. Ges. I. 1. p. 25. t. 5. Exotica.

2) Exstipulatae. a. foliis basi conduplicatis bilobis.

48. *complanata*, caule repente vage ramoso, foliis subrotundis integerrimis, auricula subovata planiuscula. Linn. Europa et America bor. v. v.

† *ovata*, caule repente ramoso, foliis ovatis alternis integerrimis subtus auriculatis, va-

ginis obovatis. Dicks. fasc. pl. cr. III. p. 11. l. 8. f. 6. Anglia.

49. * *sphagnoides*, caule repente, foliis ovato lanceolatis serratis, plica medio folii longitudinaliter adnata superius aperta sacciformi! nov. sp. Ins. Borbon. v. s. s. fr.

50. *pallens*, caule erecto vage ramosissimo, foliis cordato-subrotundis integris basi complicatis flavescentibus. Swartz. Iamaica. v. s.

51. *undulata*, caule erecto susimplici, foliis distichis bilobis complicatis integerrimis: lobis ovatis subaequalibus siccitate undulatis. Linn. Europa. v. v.

52. *nemorosa*, erecta subramosa, foliis distichis bilobis complicatis dentatis: lobo antico duplo maiori. Linn. Europa. v. v.

53. *resupinata*, erecta subsimplex, foliis distichis bilobis ovatis acutis dentatis: lobo antico dimidio minori. Linn. Europa. v. v.

54. *albicans*, ascendens subsimplex, foliis distichis bilobis: lobis oblongis acutiusculis; postremo duplo longiori subintegerrimo evanidinervi. Linn. Europa. v. v.

55. † *taxifolia*, caule simpliciusculo, foliis bilobis conduplicatis: lobis oblongis; infe-

riori duplo maiori denticulato integrinervi. Wahlenberg. Lapponia.

56. * *aequiloba*, simplex erecta, foliis bilobis conduplicatis: lobis ovatis acutis grosse dentatis subaequalibus. nov. spec. Alp. Styriae. v. v. s. fr.

2) Exstipulatae. b) foliis non conduplicatis.

α. integerrimis.

57. *sphagni*, caule repente subsimplici, foliis subarticulatis imbricatis concavis subrotundis integerrimis antrorsum conniventibus secundis. Dickson. Europa. v. s. s. fr.

† *orbicularis*, perpusilla repens, foliis orbiculatis integerrimis verticalibus antrorsum conniventibus. Michaux. flor. bor. Amer. 2. p. 277.

58. *perfoliata*, caule erectiusculo simplici, foliis oblique oppositis subconnatis ovatis integris secundis. Swartz. Iamaica. v. s. s. fr.

59. *prostrata*, caule repente stolonifero, foliis ovalibus integerrimis laxe imbricatis distichis marginatis. Swartz. Iamaica. v. s. s. fr.

60. *scalaris*, caule repente radiculoso, foliis orbiculatis semiverticalibus imbricatis antrorsum conniventibus. Schmid. Europa. v. v.

61. *lanceolata*, caule ascendente radiculoso, foliis integerrimis subrotundis laxe imbricatis subsecundis viridibus. Linn. Europa. v. v.

† *adunca*, caule decumbente subramoso apice recurvato, foliis secundis subrecurvis lanceolato-linearibus (?), setis terminalibus abbreviatis. Dicks. Ins. 3. p. 12. t. 8. Anglia. †

62. *polyanthos*, caule repente radiculoso, foliis oblongo-rotundis subdecurrentibus laxe imbricatis fluescentibus, vaginula perichaetium superante dimidiato. Linn. Europa et Pensilvania. v. v.

63. *viticulosa*, caule ascendente nudo, foliis subrotundis distichis remotiusculis subverticalibus laete viridibus. Linn. Europa. v. v.

64. * *Iavanica*, frondibus simpliciter pinnatis: surculis ramosissimis, foliolis ovatis imbricatis convexis. Linn. meth. musc. 8. 5. Iava.

β. foliis dentatis.

65. *asplenioides*, caule erecto subramoso, foliis distichis verticalibus subrotundis denticulatis, fructibus terminalibus. Linn. Europa. v. v.

β. minor.

66. *adianthoides*, caule erecto subramoso, foliis distichis subverticalibus semiovatis denticulato-ciliatis, fructibus axillaribus. Swartz. Iamaica, Africa, Australasia. v. s.

β. quintuplo angustior.

γ. foliis remotis.

67. * *patula*, caule erecto dichotomo, foliis distichis remotiusculis basi decurrentibus semi-ovatis apice denticulatis, fructibus terminalibus. Swartz. Iamaica. †

68. *cristata*, repens, ramis erectis, foliis distichis semi-cordatis lanceolatis antice denticulatis: subtus lobis cristatis. Swartz. Iamaica. v. s. s. fr.

69. * *repanda*, decumbens dichotoma, foliis distichis oblongis obtusis subintegerrimis: subtus basi repando-cristatis. nov. sp. Ins. Franc. v. s.

70. *simplex*, repens, ramis erectis simplicibus, foliis distichis remotiusculis ovatis serrato-ciliatis. Swartz. Iamaica. v. s. s. fr.

71. *serrata*, repens, ramis erectis simplicibus, foliis distichis imbricatis oblongis denticulatis basi conduplicatis. Roth. America. v. s. s. fr.

72. *bifaria*, erectiuscula subsimplex compressa, foliis verticalibus bifariam imbricatis subsecundis ovatis denticulatis. Swartz. Iamaica. v. s.

β. triplo maior. Australasia.

γ. foliis bifidis aut bidentatis.

73. *iulacea*, erecta subramosa teretiuscula, foliis imbricatis bifidis argenteis. Linn. Europa. v. v.

74. *emarginata*, erecta subsimplex teretiuscula, foliis patulis amplexicaulibus subrotundis emarginatis cylindrico-concavis. Ehrh. Europa v. v.

75. *saxicola*, erectiuscula subramosa depressa, foliis patulis semiamplexicaulibus ovatis cylindrico-concavis obtuse emarginatis. Schrad. Europa. v. v. s. fr.

76. *bicornis*, repens radiculosa, subramosa, foliis subdistichis semiamplexicaulibus concavis bidentatis: dentibus acutissimis conniventibus. Müll. fl. Dan. Europa. v. v.

77. *Funkii*, ascendens subsimplex teretiuscula, foliis patulis semi-amplexicaulibus concavis impellucidis ovatis bifidis: laciniis lan-

ceolatis acutis. *excisa* Funkii. Franconia. v. v.

78. *curvifolia*, erectiuscula simplex subteres, foliis patulis horizontalibus pellucidis truncato-bifidis: laciniis filiformibus incurvis. Dickson. Europa. v. v.

β. bicornis Schleich.

79. * *implexa*, procumbens ramosa subteres, foliis imbricatis horizontalibus lanceolato-ovatis bipartitis, laciniis lanceolatis acutis. Schleich. exsicc. an *pauciflora* Dicks.? Sudet. v. s.

80. † *excisa*, repens simpliciuscula radiculosa, foliis patulis semiverticalibus ovatis bidentatis: dentibus ovatis acutis. Dickson. Anglia, German. v. s.

81. † *coadunata*, prostrata subsimplex depressa, foliis alternis coadunatis planis bidentatis. Swartz. Iamaica.

82. *bicuspidata*, repens subramoso depressa, foliis remotiusculis verticalibus planis ovatis pellucidis bifidis. Linn. Europa. v. v.

* *connivens*, repens ramosa, foliis ovatis subconcavis emarginato-bifidis, dentibus acutis conniventibus etc. Dickson. fasc. 4. p. 19. Anglia.

* *bicrenata.* Schmidel. icon. plant.

* *ventricosa*, frondibus simpliciter pinnatis medio floriferis vagina sphaeroide, foliis bifidis. Dicks. 2. p. 14. Scotia.

* *inflata.* Hudsoni fl. Angl.

* *cordata*; surculis erectis subsimplicibus, foliis fornicato-subrotundis alternis apice excisis. Villars. Delphinat.

δ. foliis 3—4 fidis vel dentatis.

83 † *exsecta*, repens subramosa, foliis concavis inaequaliter bi-tridentatis: dentibus acutiusculis integerrimis. Schmid. ic. Europa.

84. *pusilla*, repens brevissima, foliis confertis subpatentibus semiverticalibus subquadratis crenatis. Schmid. Europa. v. v.

85. *incisa*, ascendens subsimplex, foliis distichis subsecundis quadratis trifidis: laciniis dorso canaliculatis dentatis. Schrad. Europa. v. s. s. fr.

86. *quinquedentata*, suberecta radiculosa subramosa, foliis semiverticalibus amplexicaulibus acute quadridentatis: dentibus integerrimis. Ehrh. Europa. v. v. quadridentata Wulf. ?

* *aquatica*, nigra, foliis pinnato-imbricatis, surculis caespitosis nutantibus. Villars. Delphinat.

II. ACAVLES.

87. *fucoides*, fronde erecta supradecomposita: pinnis ovatis, pinnulisque oppositis linearibus. Swartz. Iamaica. v. s. s. fr.

88. *bipinnata*, frondibus procumbentibus planis bipinnatis: pinnulis linearibus acutis. Swartz. Iamaica. v. s. s. fr.

89. *multifida*, fronde repente bipinnatifida enervi! laciniis apice latioribus. Linn. Europa. v. v.

90. *flabellata*, radice repente, fronde stipitata subrotunda dichotomo-radiata, sub sinubus fructifera. Billardier. Cap. v. Diemen. v. s. s. fr.

91. *palmata*, fronde repente subpinnata palmatave: laciniis erectiusculis obtusis sublobatis. Hedwig. Europa et Iamaica. *polyphylla* Sw. pdr.

92 † *podophylla*, fronde bisbifida: laciniis lanceolatis integris. Thunberg. Cap. b. sp.

93. *dichotoma*, frondibus erectiusculis linearibus dichotomis glabris. Swartz. Iamaica. v. s. s. fr.

94. *furcata*, fronde decumbente lineari ramosa: apicibus furcatis, margine nervique dorso pubente. Linn. Europa. v. v.

95. *pubescens*, fronte decumbente lineari ramosa apicibus furcata utrinque pubente. Schrank. Europa. v. v.

96. *linearis*, fronde reptante lineari dichotoma divaricata margine ciliata. Swartz. Iamaica. v. s. s. fr.

97 * *crassa*, fronde procumbente pinnatifida subopaca, laciniis obtusis. n. sp. Australasia. v. s. s. fr.

98. *pinguis*, fronde ascendente obovata lobata: lobis sinuatis, inferne fructifera. Linn. Europa. v. v.

99. *sinuata*, fronde procumbente lanceolata dichotome subramosa, margine integra vel pinnatifido-sinuata. Swartz. Iamaica. v. s.

100. * *rhizobola*, fronde procumbente lanceolata serrata subdivisa: ramo apice radicante attenuato. n. sp. Ins. Borbon. v. s. s. fr.

101. *epiphylla*, fronde repente obovata sinuato-lobata undulata, superne fructifera. Linn. Europa. v. v.

β. endiviaefolia. Dicks.

* *macrorhiza*, fronde bipinnatifida plana sinuata patula: apicibus inaequaliter bilobis. Linn. Gmel. Dillen. 74. 44. B.

PORELLA.

Theca univalvis, nuda, porosa? setae imposita.

1. * *pinnata.* Dillenius. America borealis. Fructificatio nemini satis cognita!

MARCHANTIA.

Thecae membranaceae, apice dehiscentes, reconditae in receptaculo communi pedunculato. *Seminum elateres* capillares.

1. *polymorpha*, receptaculo femineo radiato subdecemfido; masculo pedunculato peltato. Linn. Europa. Amer. bor. v. v.

2. *chenopoda*, receptaculo femineo dimidiato subradiato; masculo subpeltato palmato quadrifido. Linn. America, Africa. v. s.

3. *hemisphaerica*, receptaculo femineo hemisphaerico, subintegro masculoque peltato. Micheli Europa. v. s.

triloba. Schrank. Bavar. et

quadrata. Scopoli. Italia. vix differunt.

4. * *Ludwigii*, receptaculo femineo hemisphaerico, pedunculo fronde dupla longiori, calyptraeque laciniis propendentibus. nov. sp. Helvetia? Germania.

5. * *pilosa*, receptaculo femineo integro hemisphaerico subtus lanato: pedunculo piloso, masculo sessili. Flor. Dan. 8. t. 1426. Lapponia.

6. * *saccata*, receptaculo femineo hemisphaerico solido, calyptris saccatis prominulis, perichaetio barbato. Wahlenberg. Berl. Magaz. V. p. 269. Kamtschatka.

7. † *tenella*, receptaculo femineo hemisphaerico apiculato subtus fimbriato, pedunculo fronde longiori. Dillenius. Virginia.

Fimbrias Dillenio dictas calyptrarum lacinias esse autumo, sed specie non visa asseverare nequeo.

8. *crinita*, receptaculo femineo subgloboso, pedunculo brevissimo, fronde crenata margine colorata. Michaux. America bor. v. s.

9. *fragrans*, receptaculo femineo hemisphaerico, fronde pedunculum subaequante carinata ciliato-crinita. Balbis. Italia, Germania. Carolina. v. s.

10. † *androgyna*, receptaculo femineo hemisphaerico, masculo subsessili, fronde pedunculum superante plana nuda dichotoma lineari. Dillen. Anglia, America? v. s.

11. *hirsuta*, receptaculo femineo hemisphaerico hirsuto, masculo sessili. Swartz. Iamaica. v. s. s. fl. et fr.

Frons haud porosa.

12. *conica*, receptaculo femineo conico, masculo sessili. Linn. Europa. v. v.

13. † *cruciata*, receptaculo femineo globoso quadrifariam partibili. Dillenius. Italia.

* *angustifolia*, receptaculis . . . . . ., fronde membranacea semipellucida margine subsinuata poris destituta. Decandolle. Gallia.

TARGIONIA.

Theca subunivalvis. *Seminum elateres* nulli. *Calyx* bivalvis.

1. *hypophylla.* Linn. Europa, Africa, Carolina. v. s.

SPHAERO CARPVS.

Theca globosa. *Calyx* univalvis, apice perforatus, cylindrico-turbinatus.

1. *terrestris.* Micheli. Italia, Anglia. v. s.

ANTHOCEROS.

Theca linearis bivalis. *Seminum elateres* compressi. *Calyptra* a vaginula secedens, villosa.

1. *punctatus,* fronte turbinata laciniata, vaginula truncata denticulata. Linn. Europa.

   β. multifidus.

2. *laevis,* fronde plana crenata. Linn. Europa. v. v.

3. † *Carolinianus,* fronde plana laeviuscula subintegra, thecis fronde longioribus. Michaux. Carolina. v. s.

4. *crispus*, fronde sinuata laciniata undulata margine crispa, vaginula obliqua integerrima. Swartz. Iamaica. v. s.

B L A S I A.

Theca univalvis. *Seminum elateres* nulli. *Calyptra* a vaginula secedens, dimidiata.

1. *pusilla*. Linn. Europa. v. v.

APPENDIX.

RICCIA.

Theca univalvis, frondi immersa. *Seminum elateres* et *Calyptra* nulla, nisi styliscum dicas.

1. † *crystallina*, fronde cavernosa. Linn. Europa.
   a. *pellucida* Roth.
   b. *cavernosa* Hoffmann.
2. *glauca*, fronde punctata. Linn. Europa. v. v.
   a. *bifurca* Hofm. *venosa* Roth. *crystallina* Schleich.
   b. *minima* Hoffm. *minoriformis* ej.
   c. *glauca* Ehrh.
   d. † *coriandrina* Sprengel. Anl. Dillen, 58. 15.
3. *ciliata*, fronde punctata ciliata. Weber. Spicil. Germania. v. v.

† *pyramidata* Willd.

† *tuberculata*, fronde tuberculata glabra, segmentis basi cuneiformibus: apice bilobis. Lamark. Paris.

4. † *reticulata*, fronde difformi laciniata glabra reticulata. Swartz. Iamaica. †

† *arachnoides*, frondibus capillaceis implexis. Flora Dan. t. 898. f. 2. Europa. †

† *fruticulosa*, fronde compressa ramosa: ramis erectis furcatis subulatis. Flor. Dan. t. 891. f. 3. †

† *cordata*, fronde lobato-cordata inaequali subimbricata. Villars. Delphinatus. †

5. *fluitans*, fronde dichotoma plana lineari. Linn. Europa. v. v.

† *nodosa*, fronde dichotoma lineari plana hic illic nodosa. Decandolle. Gallia.

6. *natans*, fronde obcordata (dichotoma), radiculis serratis. Linn. Europa. v. v.

ERRATA.

pag. 6. lin. 7. cauto — caute.
— 9. lin. 10. desribendo — describendo.
— 12. lin. 5. exstitisse — exstitisti.

EXPLICATIO ICONIS.

Iungermannia Magellanica Lamarkii.


Fig. 1. caulis pars magnitudine naturali.
— 2. caulis vetusti portio a supina facie aucta lente vitrea II.
— 3. caulis vetusti portio a prona facie aucta lente II.
— 4. ramuli pars a supina facie aucta lente IV.
— 5. ramuli pars a prona facie aucta lente IV.
— 6. stipula aucta lente IV.
— 7. auricula aucta lente IV.

Iungermannia Funkii.


— 1. Plantae naturali magnitudine.
— 2. una ex his aucta lente I.
— 3. pars caulis aucta lente IV.
— 4. folium auctum lente IV.
— 5. calyx auctus lente IV.

Post Iungermanniam *linearem* addatur:

* *violacea*, fronde erectiuscula lineari dichotoma: extremitatibus furcatis obtusiusculis. Acharius. Dusky Bay.



Jungermannia Magellanica Lamark



Jungermannia Funkii.

C. Ludwig del.

